...lbertus

Gladysz Matthiae Gamilia

GAMILIA

Clarissimo & Excellentissimo Dno,

D. ALBERTO SZLESZKOWSKI,

Philosophiæ & Medicinæ Doctori

&

LECTISSIMÆ VIRGINI

ANNÆ SVSANNÆ MVCHARSKA

Clarissimi & Excellentissimi Dni,

D. PETRI MVCHARSKI,

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, & in Alma Acad: Professoris, S.R.M. Medici Physici & Nobilis SVSANNÆ Schylderownæ Coniugũ

FILIÆ.

Bono auspicio Ad 5. Nuptiales faces producta.

Per M. MATTHIAM GLADYSZ *Coll: Min:*

Permissu Magnifici Domini RECTORIS.

Anno Æra Christi, M. DC. LIV. Die 15. Nouembris.

CRACOVIÆ,

Apud Viduam & Hæredes Christophori Schedel, S. R. M. Typogr.

Duæ res vxorem ducturo maximè considerandæ ſunt, facies blanda & boni mores.

Menander in Epiſt. ad Regem Ptolomæum.

DEDICATORIVM.

Munus GamiLiAm mittit Tibi Sponſe ſoDalIS
Quo magè ſit gratum noMen abeſſe Cupit.
Scire cupis nomen relegas pro munere carmen,
Inuenies poſitum nomen ineſſe meum.

FAX I.

Connubium felix capiant Iunone ſecundâ
Quos genere æquales conſociauit amor.

Ode Tricolos Tetraſtrophos.

NVnc nunc Camænæ cum citharis choros
Lætæ canoros ducite Thracys,
GAMILIAN SZLESZKOVIANAM:
Ad numeros reuocate cantu.
Et tu loquaci Caſtalidum Pater,
Phorminge clarus, pectine eburneo
Nunc multichordem tange detrâ
Barbiton & reſonare faxis.
En Sacra promunt nunc Socialia,
Dono parentum qui tibi debita
Ætatis & vitæ decora
Munera lætitiamquè libant.
Non quòd iugali iure beatior,
Tædas capeſſet, quòd thalamum petat,
Et ſorte floreat recenti,
Pæoniæ moderator artis.
At iura quod ſint Connubialia,
Hos inter ambos, ſorte prius pares,
Parentibus natos duobus,
Artis Apollineæ Magiſtris.
Quêis Cura menti ſedula ſederat,
Poſſent vt æquis muneribus tuas,

Ornare Virtutes in æuum
Per titulos memoresq; fastos.
Plenis honorum. Nunc age, Quid moras
Pro tunc inertes nunc meditabere?
Parnasseo primis ab annis,
Nomina seq; dedêre colli
Tibi sacrato. Laudis adoream
De fonte nacti Castalio, Tuis
Sororibus mox præfuerunt
In studio Medico potentes.
Quis quantus audin? personet exedris,
Illis ab annis ore MVCHARSCIVS?
Testes laborum sunt honores
Quos Academia fert abundè
Hûic vt videmus! Carpere liuidæ
Obliuiones non poterunt diu
Vrgere dente nec feroci
Posteritas canet ore cano.
Impunè mitto. Præstat inertiæ
Pænas mereri, cedere gloriæ
Quàm non satis laudes decenti
Eloquio temerare malo.
Libens silebo. Nam vocat inclytæ
SZLESZKOVIANI gloria Nominis
Quâ clarus Europæ vniuersæ
Innotuit Calamo sonanti
Arcana mundo commoda publica
Spectando prompsit: Vaticinarier,
Et pestilentiæ mederi
Febribus & grauibus valeret Qui

Qui ſcripta noſſet! Pæonios modos,
Tot connotauit, de phlebotomiâ,
Penuqué Alexitêricum ſic
Politico ſtatui rependit.
Illuſtris iſthîc orbe Polonico,
Scriptis adornans Pruſsiacos ſinus
Et Litthuanos nomen reſumpſit,
Sarmatico celebris Trione.
Horum maritas progenies faces
Dum ſumit, an non Connubium potens?
Iunone quod factum ſecundâ!
Conſociabit amor sùáuis.

F A X II.

Coniugio iungat ſtabili vos vita parentum
Laurum vnâ capiti quêis dedit Alma parens.

Ode Dicolos Diſtrophos.

Ritè vincla iugalia
Dextris nunc liceat nectere candidis,
Quêis præter generis decus
Et ſortis meritum ſplendet honoribus
Puris, caſtùs amor ſibi.
Non quod coniugium concelebrent pares,
Aut quod purpureus rubor
Pallenti violâ mixtus inambulet
Sponſam re faciens roſam,

Mentem ſollicitam feruor vt attrahat
Sponſo delicias ferens.
Sed quòd moribus hæc aſsimulans patrem,
Priſtinum tribuat decus
Sponſo, primaq́ʒ det munera gaudij.
Fælix coniugium ſiet!
Nam quos vita parentum ſociauerat
In docto Phocidis jugo,
His natos thalami jungit amoribus,
Fœdus non violabile.
Olim vtriq́ʒ ſimul laurea ceſſerat
Et Xyſti locus intimus:
Gnatis conſimilis ſors datur en modo,
Vt ſic perpetuus detur
Veſtris continuus nexus amoribus.
Læti fœdera jungite!
Inter vos ſit amor hæreditarius,
Illis obtigit inclytæ
Matris caſtus amor: continuabitis
Vos conamine nobili.
Sic fœdus patrium tædifero jugo
Per vos credo nepotibus
Cedet, vota Dij veſtra recenſeant
Cuncti ſuppeditabimus
Pro vobis ſuperis ſollicitas preces.

F A X III.

Sic

Sic ſpectanda fides talis Philoteſia felix,
Quam pudor & pietas, formaq; caſta iuuat.

Ode Dicolos Tetraſtrophos.

VIx dum ſub ſtabili cardine conſtitit
Terrarum orbis, & expleuit in æthere
Vix dum puniceos aſtripotens dies,
Clarâ vt lampade ſplendicent.
Titan mox ſocius non violabile
Cum lunâ nitidi luminis æmula,
Lucendi patulo fædus iniuerat
Mundo, ad ſecula poſterum.
Non diſrupta fides munere fungitur,
Hoc noctem, ſimul & temperat hoc diem;
Nec fortaſſe (niſi terra cadet) ſtatum
Iuncto in lumine deſeret.
Doctorum ſoboles vos duo lumina,
Quo tandem ſociat Connubio fides!
Vt par nonniſi ſit nexus amoribus
Mundo & fructificans DEO.
Si fortuna dies turbine truſerit
Infauſtos, fidei mentis & æmulæ,
SPONSA vt triſtibus his rebus in anxijs
Et SPONSVS ſimul obuient.
Aut quos lenta feret materies ſinû
Per ſortis tumidæ luſtra: fideliter
Has vt diſcutiant lumine Coniuges
Vmbrarum inſtabiles vices.

Hanc

Hanc firmam refugis ictibus Africus
Nec fluxis poterit casibus Ismarus
Infestare fidem, nec quatiet ferox
Nimbus vel dubius Notus.
Quam tum forma sibi, tum pudor, & pio
Annexu pietas iunxit & vnica
Consortem statuit compage fortius
Quâ sub sole nihil viget.
Ergo vt Sol roseis, Cynthia candidis
Illustrant radijs climata syderum,
Sic vestrum pietas forma pudor thorum
Exornant iubare aureo.
Si spectes, pietas cuncta leuat mala
Et mel de rigidâ rupe trahit: pudor
In vultu veluti noctibus emicat
Atris pyramis ignea.
Quæ nullo icta malo frangitur, haud secus
Mentis Virgineæ per niueas genas
Candorem remicant symbola, Syrij
Non marcentia flatibus.
Astrorum duo sunt lumina, Vos duæ
Tædarumq; faces; lumina syderi
Lucent, Vos animi sorte nepotibus
Sera in seclâ nitebitis.

FAX IV.

Coniuge nunc hilari vigeas Neosponse beatus
Electam à Domino, vel Salomonis habes.
Ode Tricolos Tetrastrophos.

Quâ

QVâ celsa Craci mænia, Vistula
Cannosus vndis lambit humentibus,
Et quâ dicatus nidus olim
Floret Apollineis Camænis.
Fors mane fusco excußerat ætheri
Vmbrarum inexhaustas atomos rubens
Palantias, claræ diei
Vera parens remeante cursu.
Et turrium aucto lumine cespites
Luxêre, & in totâ Vrbe peristyla
Nouomber optatis Calendis
Astra rotans niueus reuisit.
Tunc ritè ad ortum solis, ab æthere
Cyllenius dilabitur ocyùs
Ales, & hinc atq; inde pulsans
Aëra contrepidante pennâ,
Et gratulanti voce melos ciet.
Audite Saturni aurea sæcula
Ac faustitas jucunda læto
Iure simul refluunt Olympo.
Ex nunc tenaci bella super mari
Pugnasq; in vndis ludere distulit
Neptunus, insueto marinæ
Imperio dominator auræ.
Et vectus atris Bosphorus anxius
Plaustris ad vstos Æthyopum lares
Conceßit, ac secum Cynethim
Duxit anile genus nepotum.
Vos Naiades, vosq; Istulidum chori,
Non fama vestris tinnit in auribus?

Quas

Quas gaudijs miſcere fas eſt
Coniugio veniente pompas.
O quæ canendæ tympana gloriæ
Clio Dearum Dux, Duce Pindaro
Expergefactis ſemper vrges
Fac reſonare nouata plectris.
Promas ſonent, promas reſonent, Io!
Dic ſponſe ter felix vigeas diu
Ac lætus, & lætos nouâ cum
Coniuge duc Neoſponſe ſoles.
Et quæ ſuperno eſt à Domino data,
Hæc prole longæuâ recreet virum,
Conſortium factis, & annis
Frugiferis Salomonis æquet.

FAX V.

Vos decor & Virtus & Hymen ſociauit & ætas,
Concordes animo ſeruet amoris amor.

Ode Dicolos Tetraſtroph:

DIua de ſummo veniens Olympo,
Quæ domas mentes hominum calentes,
Cælitum pignus graue de remotis
Ætheris oris.
Quâ nihil terris melius tuendis
Eſt datum ad cætus hominum regendos,
Conferô Concordia delicati
Pignus amoris.
Te Fides circum niueiſq; plaudit
Charitas pennis, Comiteſq; fidæ,

Pax

Pax, coloratis Opulentia aptat
Tempora gemmis.
Dic quibus terris cupidè moraris?
Aureas luces nitidosq́; soles
Transigas felix? vbi diues annus
Munere opimat?
Fatur: audîstis Dea quid loquatur?
Ille me castor propior scienti
Qui dari censet paritate philtrum
Tempore quouis.
Non enim gazæ generisq́; splendor,
Nomen aut clarum, meritumq́; laudis,
Sola sed largis paritas amorem
Gignit aristis.
Hoc pares mites volucres videtis
Mutuis nubes resecare turmis,
Inter & latè peragrare acuti
Regna Promethêi:
Hocce Delphinos iterare saltus,
Et simul mutos latitare pisces,
Tum cauis Pardi socios gregatim
Stare cauernis.
Si nemus spectes, habitare ceruos
Insimul dices, caput è cadanis
Quâ virens attollit amænianter
Silua viretis.
Quâ vel Eois rosa floret hortis
Si voles cætus animantum inito
Concatenatos simul intueri
Fœdere, cernes.

Fœdus hoc gemmis, Lybicis lapillis
Conuenit; nulli magis at perenni
Vinculo ſeruit, ſolidatq́; nullum
Atq́; adamantes,
Quos decor nexis religat fideles
Inuicem nodis, geminiſq́; tædis
Germinant paſsim pretioſa longis
Pignora ſeclis.
Muta ſi tangit ſociale vinclum,
Nunquid humanas ſociata mentes
Hinc ſibi virtus religare vero
Poſsit amore?
Clara ſi Magnes ſine Te quietus
Permanet nuſquam Cynoſura donec
Compari niſu remoretur acris
Plauſtra Bòótæ.
Ritibus ſuetis imitata virtus
Et decor concors thalamos & ætas,
Iam maritales ſubeunt, Hymenq́;
Spondet amores.
Firma ſtant bis bina Elementa baſi,
Quinq́; ſed veſter facibus repoſtus,
Nunc Hymen forti ſtabilitur ortu
Non niſi firmus.
Vsq́; vel noctes properoſq́; Menſes
Aut leues horas numerabit Arctos,
Vna concordes ſine morte vitæ
Vos feret ætas.

IESV CHRISTO Gratia & Gloria.